



I

# BENEDICTUS EPISCOPUS

## SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.



N APOSTOLICÆ DIGNITATIS fastigio Divina disponente clementia, meritis licet imparibus constituti, ad ea potissimum vigiles cordis nostri curas impendimus, per quæ inter Personas in Dignitate Ecclesiastica constitutas, ac præsertim ovium Pastores, ea potissimum quies, & tranquillitas foveatur, quæ Christi gregis decet custodes, & illa per quæ aliquando ipsa quies, & tranquillitas perturbatur tollere sedulò procuramus, ut iurgiorum, quæ à tenebrarum Principe suam trahunt originem semotis occasionibus, fraternus reviviscat amor, & unanimi corde Summo Datori, & Patri lumen incessantes persolvantur laudes, que, ut eveniant, & iam erectarum vniione, & novarum Dignitatum erectione faciliores vias aperire studemus, propt rerum, locorum, & temporum conditionibus mature pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem omnes Dignitates in Collegiatis Ecclesijs principales, & valorem annum decem Florenorum auri communi æstimatione excedentes tunc vaccates, & in posterum vaccaturas, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus Decernentes ex tunc irritum, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum Decanatus de Tudela nuncupatus, Sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ oppidi Civitatis nuncupati de Tudela Tirasonensis Diœcesis, qui inibi Dignitas principalis existit, & valorem annum decem

cem Florenorum auri huiusmodi, communi æstimatione  
 prædicta excedit, cuin ei annexis Cannonicatu, & Præ-  
 benda ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, quem quondam Hie-  
 ronymus La Pazza ipsius Ecclesiæ Decanus dum viveret  
 obtinebat, per obitum eiusdem Hieronymi, qui extra  
 Romanam Curiam diem clausit extremum vaccaverit, &  
 vacat ad præsens, nullusque de illo præter Nos dispo-  
 nere potuerit, sive possit, reservatione, & decreto obsisten-  
 tibus supradictis, & sicut Nobis innotuit, alias nonnullæ  
 lites, & causæ, seu questionis materiæ inter pro tempore  
 existentes Decanos dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, ac prædi-  
 ctum Hieronymum ex vna, & pro tempore existentes, ac  
 Venerabilem fratrem nostrum Modernum Episopos Tira-  
 sonenses ex altera partibus, super prætensa eiusdem De-  
 cani omnimoda exemptione à iurisdictione prædicti Epis-  
 copi Tirasontensis, & alijs punctis iurisdictionalibus, à plu-  
 ribus annis usque adhuc viguerint, & vigeant de præsenti:  
 Nos igitur litibus huiusmodi, propter Pastoralis officij no-  
 stri cura requirit quantum cum Domino possumus ob-  
 viare, ac pacem, & concordiam, animorumque tran-  
 quillitatem inter Personas Ecclesiasticas, præsertim Ponti-  
 ficali, & quavis alia Dignitate prædictas conservare cu-  
 pientes, ipsumque Modernum Episcopum Tirasonen-  
 sem à quibusvis suspensionis, & interdicti, alijsque Ec-  
 clesiasticis sententijs, censuris, & penis, si quibus quomo-  
 dolibet innodatus existit ad effectum præsentium tan-  
 tum consequendum harum serie absolventes, & absolu-  
 tum fore censentes Motu proprio, non ad eiusdem Mo-  
 derni Episcopi Tirasontensis, vel alterius pro eo Nobis  
 super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa  
 scientia meraque deliberatione nostris, deque Apostoli-  
 cæ potestatis plenitudine, omnes lites, & causas huius-  
 modi, ut præfertur à pluribus annis pendentes super di-  
cta

3

cta pretensa exemptione eiusdem Decani, à predicti Episcopi iurisdictione, & super alijs punctis iurisdictionalibus ad Nos avocantes, easque penitus, & omnino extinguentes, & quibuscumque Personis super hoc interesse habentibus, seu habere prætendentibus, perpetuum silentium de super imponentes, previa separatione, & divisione Canonicatus, & Præbendæ prædictorum ab eodem Decanatu, Decanatum prædictum, vt præfertur vaccantem cum illius iurisdictione spirituali, tam in dicto Oppido, quam in alijs locis dicti Decanatus, ad præsens ad eundem Decanatum quomodolibet spectante, & pertinente, vna cum Palatio, seu Domo Decanali, penes dictam Collegiatam Ecclesiam existente, necnon Archivio, & Carcere, & cum omnibus alijs exemptionibus, quocumque nomine nuncupatis, & etiam alias ad Decanatum predictum, vt præfertur spectantibus, & pertinentibus, Episcopatui Trafonensi, ita, vt Modernus, & pro tempore existens Episcopus Trafonensis, semper Decanus de Tudela nominetur, & sit perpetuo vnimus, anneximus, & incorporamus, seu quatenus opus sit iurisdictionem spiritualem eiusdem Decanatus, cum Palatio, seu Domo Decanali, necnon Archivio, & Carcere predictis in Dignitatem Episcopalem Trafonensem etiam perpetuò transferimus: ita tamen quod predictus Modernus, & pro tempore existens Episcopus Trafonensis, plenè, & liberè possit exercere suam omnimodam iurisdictionem in dicto Oppido de Tudela & in locis omnibus alijs ad iurisdictionem dicti Decanatus pertinentibus, eodem modo, quo ea vtitur in reliquis locis sue Diœcesis: Pro ea tamen cum maiori commodo personarum pertinentium ad loca dicti Decanatus exercenda, constitueri debeat Vicarium, qui inibi nomine suo, eandem iurisdictionem exerceat, quam Decanus in dictis

4 locis exercebat, & ibi cognoscat de causis de quibus dicitur Decanus cognoscet. Ita, & taliter quod unio predicta tantummodo de dicto Decanatu cum iurisdictione, Palatio, seu Domo Decanal, nec non Archivio, & Cancellere predictis non vero de fructibus, redditibus, & preventibus ad Decanatum predictum, sicuti nec de illis ad Canonicatum, & Præbendam predictos eidem Decanatu, ut præfertur annexos, & per Nos ab eodem Decanatu, ut præfertur separatos, de quibus etiam per Nos, alteri iam provisum fuit, respectivè pertinentibus intelligatur, & sit. Ac insuper Nos ex certis causis Nobis notis, & animum nostrum moventibus, Motu simili in dicta Collegiata Ecclesia unum Archidiaconatum de Tudela nuncupandum futuram Dignitatem in eadem Collegiata Ecclesia principalem, qui seorsim, & separatim à dictis Canonicatu, & Præbenda per Sedem Apostolicam tantum provideri debeat, pro uno Archidiacono de Tudela nuncupando, eiusdem Collegiatæ Ecclesiæ, qui apud ipsam Collegiatam Ecclesiam residere debeat, & teneatur, cum omnibus, & singulis privilegijs, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, antellationibus, præminentij, gratijs, favoribus, honoribus, insignijs, & indultis alias Dignitates dictæ Collegiatæ Ecclesiæ obtinentibus quomodolibet, & quandcumque concessis, & in posterum concedendis: Ita quod Archidiaconatum per presentes, ut infra erendum huiusmodi pro tempore obtainens, stallum in Choro, & locum in Processionibus, alijsque actibus Capitularibus habere, ac voce activa, & passiva in Capitulo dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, necnon omnibus, & singulis alijs gratijs tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alijs, ceteras dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Dignitates obtinentes ratione suarum Dignitatum de iure, usu, styl.

stylo , consuetudine , aut alias quomodolibet vtuntur,  
fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaude-  
re possunt , & poterunt , quomodolibet in futurum pari-  
formiter, & æquè principaliter, & absque vlla prorsus dif-  
ferentia in omnibus , & per omnia, & omnino quoad  
omnia , vti, frui, potiri , & gaudere liberè , & licitè pos-  
sit , & valeat, dicta Apostolica auctoritate etiam perpe-  
tuo erimus , & instituimus, illique sic erecto , & insti-  
tuto pro illius Dote , illumque pro tempore obtinentis  
congrua sustentatione, omnia, & singula dicti Decana-  
tus per Nos sic , vt p̄fertur vniuersitati tantum fructus, reddi-  
tus , & proventus jura obventiones , & emolumenta  
quæcumque similiter perpetuò applicamus , & appro-  
priamus. Decernentes easdem p̄sentes vlo vñquam  
tempore , etiam ex eo , quod interesse habentes , seu  
habere p̄tendentes ad id vocati non fuerint, nec suum  
desuper p̄stiterint consensum , & ex quibusvis alijs,  
etiam hic necessario exprimendis causis, de subreptionis,  
vel obreptionis, aut nullitatis vitio , vel intentionis no-  
stre , seu opiam alio , etiam substantiali defectu nota-  
ri, impugnari , annulari, invalidari, retractari , in ius,  
vel controversiam vocari , ad viam, & terminos iuris re-  
duci , aut adversus illas, quandocumque juris , vel facti,  
aut gratiæ remedium impetrari , aut etiam Motu simili  
concedi nullatenus posse , sed illas semper , & perpetuò  
validas , & efficaces existere , nec sub quibusvis similiūm  
vel dissimiliūm gratiarum revocationibus, suspensioni-  
bus, limitationibus, derogationibus, Cancellariæ Apostolice  
regulis, & alijs contrarijs dispositionibus, etiam per Nos,  
& successores nostros Romanos Pontifices pro tempore  
existentes quo inodolibet factis, & concessis, ac faciendis,  
& concedendis comprehendendi, sed semper ab illis excipi, &  
quotiescumq; illas emanare cōtigerit, toties in pristinum,

& vallidissimum statum restitutas , repositas , & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori, Data , per pro tempore existentem Episcopum Tiroso-nensem, Episcopatum Tirosonensem, dictumque Archidiaconatum pro tempore obtinentes quandocumque eli-genda concessas validas, & efficaces fore , & esse , suos-que plenarios , & integros effectus sortiri , & obtainere, siveque , & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quacumque auctoritate fungentes , etiam causarum Palatij Apostolici Auditores , ac Sanctæ Ro-manæ Ecclesiæ Cardinales , etiam de Latere Legatos, & Vice Legatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet , quavis aliter iudicandi , & interpre-tandi facultate , & auctoritate iudicari , & definiri debe-re , irritumque , & inane si secus super his per quoscum-que quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contige-rit attentari . Non obstantibus quatenus opus sit nostra , & Chancellariæ Apostolicæ prædictæ regula de jure que-sito non tollendo , alijsque quibusvis Apostolicis consti-tutionibus , & ordinationibus , d'æctque Collegiatæ Ec-clesiæ , etiam iuramento , confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis , & consuetudini-nibus , privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Collegiatæ Ecclesiæ , illiusque Capitulo , & Cano-nicis , alijsque quibusvis Superioribus , & Personis , sub quibuscumque tenoribus , & formis , & cum quibusvis etiam derogatoriæ derogatorijs , alijsque efficationi-bus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque & alijs Decretis in genere , vel in specie , etiam in contra-rium premissorum quomodolibet concessis , pluriesque innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis , specifica , & indivi-dua, non autem per clausulas generales idem importan-tes

tes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua  
alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores  
præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de ver-  
bo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore  
permansuris ad præmissorum effectum hac vice dum-  
taxat latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expref-  
sè Motu pari derogamus, ac derogatum esse volumus  
cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omni-  
no hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis,  
causarum avocationis, litium extinctionis, silentij im-  
positionis, vnionis, annexionis, incorporationis, trans-  
lationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropria-  
tionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel  
ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare  
præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Bea-  
torum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit in-  
cursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno  
Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vi-  
gesimo octavo, quarto decimo calendas Julij Pontificatus  
nostrí anno quinto.

Loco  plumbi. Benedictus Papa XIII.

Topic XIII. Baudigis et Paix XIII.